

CCLL.

Anno 1750. die 16. Januarii. Viennae.

**Maria Theresia regulationem Confiniorum banalium sancit,
nonnullaque Privilegia Regni confirmat.**

Justitia et Clementia.

Nos Maria Theresia, Divina Favente Clementia Romanorum Imperatrix ac Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, superioris et inferioris Silesiae, Mediolani, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Mantuae, Parmae, Placentiae, Limburgiae, Lucemburgae, Geldriae, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviae, Moraviae, superioris et inferioris Lusatiae, Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiae, Gradiscae et Arthesiae, Landgravia Alsatie, Comes Namurci, Domina Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, Salinarum et Mechliniae &c. &c.

Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Regalis Muneris nostri ratio, quod DEO favente oblinemus, et qua in Regna et Ditiones nostras haereditarias ferimur propensa Benignitas, Desiderium Studiaque nostra eo cumprimis dirigit, quatenus Subditorum Nobis Regnorum commodis omnimode prospiceremus, Devotos porro et fideles nostros, illos praesertim, qui gratos subditalis Obsequij conatus jugiter Nobis impendunt, quosve propria Virtutum merita commendare videntur, peculiaris Gratiae et Clementiae nostrae Caesareo-Regiae Favoribus complecteremur. Hinc est, quod ut primum paternum Solium conscendendo Imperij fasces adeptae sumus, ea specialis atque sollicita Cura nostra continuo fuerit, qualiter Incremento Felicitatque Regnorum et Provinciarum nostrarum haereditariarum quam optime consulere valeamus. Benignam hanc Intentionem nostram in cupitum effectum perducendam praepediverunt adusque tot Bellorum, quibus mox a tempore suscepti Regiminis continuata serie undequaque impetitae fuimus, Injuriae; Jam vero restituta infinita Dei Misericordia alma Pace, optata affulget occasio, quo fidelibus subditis nostris uberrima Regiae Benignitatis nostrae, qua eosdem complectimur, Dona largiamur, Maternamque sollicitudinem nostram in omnigenam Illorum Prosperitatem unice directam re ipsa commonstremus. Quibus fideles Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines tanto cumulatus quidem beare cupiamus, quo iidem testata omni tempore intemerata, cum Vitae Facultatibusque suarum discrimine, Fidelitate, homagialisque obsequij Studio de augusta Domo nostra benemerito, in postremi quoque gravissimi Belli Motibus Vitam et Sanguinem suum, in novam praeclarae Fidelitatis Tesseram, pro Majestate nostra,